



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 50. Fons omnium bonorum est oratio

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

§. I. Fons omnium bonorum oratio.

QUOD de Sapientia scriptum est, hoc verè de oratione dici potest: *Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & latatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista, & ignorabam quoniam horum omnium mater est. Infinitus enim thesaurus est hominibus quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitia Dei.* Sap. 7. Oratio quippe fons gratiæ est, virtutum parens, mentis illuminatio, mœrentium consolatio, lætantium jucunditas, cibus animæ, omniumque bonorum origo & custodia. Hæc iram Dei placat, veniam peccatorum impetrat, expellit vitia, liberat à periculis & divini amoris in nobis ignem accendit. In ea omnium virtutum actus exercentur. Prima verò ante omnes occurrit fides, nemo enim oraret, nisi crederet Deum esse præsentem & preces clamantium ad se audire, easque posse & velle, si iusta petimus, exaudire. Spes erigitur, quia maximam in Dei ope & misericordiâ fiduciam habemus. Charitas excitatur divinæ bonitatis consideratione, quæ urget nos ad ipsum super omnia diligendum. Per eam discimus adimplere omnem justitiam & iustorum prudentiâ omnia perpendere. Fortitudo exercetur, quia orans firmiter statuit servire Deo, & pro ejus amore adversa omnia tolerare. Temperantiæ actus eliciuntur, quia mens orantis à terrenis, & corporeis abhorrens cœli delicias degustat. Dona quoque Spiritus sancti vim suam exerunt, quia intellectus de æternis illuminatur, Dei sapientia fruitur, ipsique Deo appropinquans omnes creaturas scientiæ dono pro nihilo habet: tum luce uberiori perfusus in rerum agendarum dispositione per donum consilii non fallitur: ad orandum pro aliis pietate impellitur: divinæ Majestatis celsitudine apprehensâ ejus timorem concipit, & ad multa pro Christo toleranda fortitudine roboratur. Multis ergo virtutibus fulget, qui multum orationi incumbit.